Quelle: https://manuscripta.at/?ID=928
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



38 45

nichil mihi prodest Caritas patiens est benigna
est Caritas non emulatur non agit perperam non
inflatur non est ambiciosa non quærit quæ sua sunt
non irritatur non cogitat malum non gaudet super
iniquitate gaudet autem veritati Omnia suffert
omnia credit omnia sperat omnia sustinet Karitas nun
quam excidit Sive prophetiæ evacuabuntur sive
linguæ cessabunt sive scientia destruetur Ex parte
enim cognoscimus et ex parte prophetamus cum
autem venerit quod perfectum est evacuabitur quod
ex parte est Cum essem parvulus loquebar ut parvulus
sapiebam ut parvulus cogitabam ut parvulus
quando autem factus sum vir evacuavi quæ erant
parvuli Videmus nunc per speculum in enigmate
tunc autem facie ad faciem Nunc cognosco ex parte
tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum Nunc
autem manent fides spes caritas tria hæc major
autem horum est caritas Gr. Tu es deus qui facis mira
bilia solus notam fecisti in gentibus virtutem tuam V. Liberasti
in brachio tuo populum tuum filios israel et ioseph Tractus
Iubilate deo omnis terra servite domino in letitia Introite in conspec
tu eius in exultatione Scitote quoniam dominus ipse est deus Ipse fecit
nos et non ipsi nos nos autem populus eius et oves pascuæ eius Lucam
Factum est cum impleti essent dies duodecim discipulos suos
et ait illis Ecce ascendimus hierosolimam et consu
mabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de
filio hominis Tradetur enim gentibus et illudet
et flagellabitur et conspuetur Et postquam flagel
laverint occident eum et die tertia resurget
Et ipsi nichil horum intellexerunt Et erat verbum
istud absconditum ab eis et non intelligebant